



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.

2. Misellanearum Exercitationum Decades III.

3. Gymnasium Ethicum.

4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

# GYMNASII ETHICI EXERCITATIO X.

De

# Virtutibus Homileticis.

*Qvam*

*PRÆSIDE*

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

*Placidæ ventilationi subjicit*

MICHAEL GERWINUS,

Mariæburgensis Prussus.

In Gymnasio Gedanensi.

*Ad diem  Octobr.*

Horis locoq; destinatis.

---

DANTISCI,

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

Anno M. DC. XLIX.

VIRIS

*Reverendo, Clarissimo, atq; Doctissimo,*

Dn. ANDREÆ HINNIO,

S. S. Theologiæ Cultori eximio, Ecclesiæq; Lichtenowiensis Pastori fidelissimo, dignissimo, Præceptori suo olim plurimùm colendo.

*Amplissimo ac Consultissimo,*

Dn. IGNATIO GERWINO,

Scabino Reipubl. Mariæburgensis Spectatissimo, Parenti suo æternùm observando.

*Integerrimo ac Præstantissimo,*

Dn. PETRO GERWINO,

Civi ac Mercatori Vrbis Gedanensis Solertissimo, Patrueli suo perqvàm dilecto.

Hanc Disputationem Ethicam ex debito, filiali, & officioso cultu dat, dedicat.

*Illorum paratissimus,*

Michael Gerwinus, Respond.

EXERCITATIO X.

De

# Virtutibus Homileticis.

IN particulari virtute externum objectum regendum sumptus, vel honor, vel conversatio dirigenda est, Ut *d. 7. t. 1.* dictum. Iste liberalitate, ille modestia, hæc homileticâ virtute dirigenda est.

2. In conversatione nostrâ cum aliis *vel* familiaritas regenda est, *vel* actio aliqua cum alio. *Familiaritas* regitur virtute, quæ specialiter *homiletica* dicitur, ἀπὸ τῆς ὁμιλίας, quæ conversationem notat: In familiaritate aut requiritur *jucunditas*, ut jucundè cum alio versemur: Et *vel* in serio, unde comitas, affabilitas, humanitas, *vel* in joco unde Urbanitas: *aut Veritas*, ut sinceré & sine fuco, unde Veracitas, *aut placiditas & consensus*, ut pacificè & quietè, sine rixà, contentione, discordià, unde Concordia oritur. De his consequenter jam agendum.

3. *Comitatis* vox & vim naturalem humaniter versandi notat, quomodo gentes quasdam naturà humanas, ut Græcos, Asiaticos, quasdam agrestes & rusticanas, ut Scythas, Tartaros, Gothos, Hunnos, dicimus, *V. Majorem in scrut. ingenior. Et præf. Tract. d. Cognit. humanâ*, Et ipsum actû ac habitum moralem, quo actus promitur. Ita hic. Dicitur & *humanitas*, quod hominis sit propria, *affabilitas*, quòd sermone, gestu, officio, benevolè se gerat, *facilitas*, quod facilem se omnibus exhibeat, Civilitas, popularitas, familiaritas, &c. Germ. Freundligkeit/ Holdseligkeit.

4. Realis tractatio definitione, subjecto, divisione, & oppositis absolvitur. *Definitio est, Virtus moralis directa,*

*medium prudentiæ in conversatione seriâ quâ sermonem & gestum ad honestè oblectandum & modestè reprehendendum servare faciens.*

5. *Genus ex d.4. patet. Differentia ab objecto & officio sumitur. Objectum internum est affectus irascibilis*, ne is insuavis sit, & voluptas ac tristitia, quæ in sermone ac gestu in conversatione seriâ reperitur, ne ea modum excedat: Externum est sermo & gestus in conversatione seriâ ad jucunditatem reducendus. *Urbanitas* in conversatione jucundâ, non seriâ est. *Veracitas* in sinceritate, non jucunditate, & *Concordia* quietem conversationis respicit, non jucunditatem. Sermo, quia hic character animi est, eumquè prodit. Gestus, quia mores sequitur, eosq; indicat, & ad sermonem componitur, ut chorea ad Musici Instrum. sonum.

6. *Officium in medium prudentiæ servando in sermone & gestu ad honestè oblectandum & modestè reprehendendum est.* Hoc officium *quà sermonem est*, ut is ratione *temporis*, ut tempore justo, quo decet & jucundum est, non intempestivè fiat, nevè statuæ mutæ simus, quod odii, superbiæ, acerbitatis, singularitatis est, nec canes latrantes, quod garrulorum, vanorum, & inconsideratorum est, tœdiumquè conversandi ac odium parit: *Modi*, ut meditatus sit, non prius ex ore procedat, quàm in mente formatus sit, clarus & apertus, gravis & decorus, non præfocatus, clamosus, festinus, pronuntiando vitiosus, affectatus, streperus sit: *Et objecti conveniens sit*, ut de re notâ, non ignotâ, conveniente, licitâ & honestâ, non scurrili & impiâ sit. Hæc enim non nisi in necessitate proponenda, ubi Conscientia aut peculiaris vocatio exigit. *V. Prov. 18. v. 21. Jacob. 3. v. 5. 7.* Sic cum scelera ac facinora aliorũ attestari cogimur. *Quà gestum*, ut is gratus, sermoni attemperatus, moderatè gravis,

vis, nec excessivus, nec defectivus, corporis totius & partium ejus, decorus, situ, munditie, vel actionibus, ut ridendo, edendo, bibendo, spuendo, competens sit, &c. De quo Casæ Galateus, Guazzi Conversatio Politica, *Libri de Civilitate morum*, *Item Liber*, qui inscribitur *Grobianus*, aliiq; videantur: *Quà ipsam comitatis rationem*, ut facilitatem, ut facilè admittamus alios, ubi opus & utile est, suavitatem, ut nulli molesti simus, omnib. benefici, æquabiles, humani, non rigidi, asperi, amarulenti. Sic in corrigendo comitas prudens, amica, & privata sit, ne incompetens, morosa, mordax, aut hostilis sit, & benevolentiam adjunctam habeat. Ut humaniter salutemus, resalutemus, loco cedamus, consentiamus, in melius explicemus. *Majori cedendum, pari consentiendum, minori aut dissentienti modestè persuadendum.*

7. *Subjectum inhæsionis voluntas & appetitus dirigibilis est*, & homo ipse, mas & fœmina, *V. d. 4. t. 10.* Inprimis literatus, unde quò quis doctior, eò humanior. Et quò quis indoctior, eò asperior & inhumanior. *Didicisse enim fideliter artes emollit mores.* Interdùm profunda meditata impediunt, ut torui ac vultuosi videantur literati. Sed discussis meditatis, & mente reductâ, humanitas redit. Interdùm Prophetæ & Apostoli nec salutare, nec resalutare jussi, *2. Reg. 4. v. 29. Luc. 10. v. 4.* Sed celeritate expediendi operis, non rusticitate fieri, intelligendum. Secùs contrà egerunt, & agere jusserunt, *Roman. 16. v. 3. 16.* Ex divisione Ecclesiastica, Oeconomica, & Politica esse potest. Exempla *Zvinger. Vol. 12.* habet. Et cum hæretico, pagano, Judæo, etiam exerceri potest, ut Abrahæ, *Genes. 14.* Jacobi, *C. 29.* Christi *Luc. 7.* exempla, & dictum Pauli, *1. Cor. 7. v. 12. 13.* docent.

8. *Oppositum ejus vel apparens est, ut gravitas morum*, virtus decorum in moribus pro honestate ad status rationem & competentiam servare faciens, *vel verum*, idq; *vel excessus*, blanditia, adulatio, quasi adaulatio, quod in aulis frequens, perpetuum malum Regum, quorum opes sæpiùs assentatio, quàm hostis evertit, *Curtius l.8. C. 5.* Et nimia demissio, &c. *Et defectus est*, ut morositas, rusticitas, torvitas, asperitas, ut Timon Atheniensis. Exempla *Zuingerus c. l.* habet. Et ratione odiositatis, ac quòd societatem impediat, deterior est morositas: Ratione noxæ, fallacitatis, & eversionis, adulatio.

9. *Sic virtus seriam conversationem dirigens*. Quæ Jocosam regit, *Vrbanitas* dicitur, alias & jocositas, festivitas, Höffligkeit/ Schertzhäfftigkeit/ *Virtus directa, medium prudentiæ circa jocos & ludicra in conversando & decorum servandum, offensam vitandam, servare faciens.*

10. *De genere d. 4.* Medio prudentiæ *c. l.* visum. *Officium ejus in proferendo & acceptando jocosa est.* In *proferendo* joci sint jucundi, unde jocus quasi jocundus, liciti, utiles, dicentibus & audientibus competentes, locis & temporibus apti. Secus noxii sunt, & si mordaces, aut nimium ex vero trahunt, acrem sui memoriam relinquunt, & dicentibus obsunt. Ut Fusio Consuli *ap. Tiberium, Tacit. l. 5. annal. C. 1.* & Vestino ap. *Neronem, Id. L. 15. C. 10.* Huc & *ludi scenici oblectantes*, de rebus licitis, tempore, modo, loco, convenientib9, occupati pertinent, quibus infestiores quidam, ut *Amesius 5. Cas. Co. C. 39. Daneus l.2. Eth. C. 14.* Qvos rectius alii licitos aut indifferentes habent, ut *Alstedius Eth. 1. C. 23. Diest. p. 1. Meth. C. 9. Brochmandus, Meisnerus, aliiq.* Nam & *usum* intellectus, voluntatis, memoriæ, linguæ, & morum habent, qui formantur, moventur, excitantur,

& per-

& perficiuntur talibus repræsentationibus, & decoram voluptatem trahunt, & abusus ac ataxiæ illis accidentales sunt, ab ijsq; semoveri debent & possunt, ut in sese lusus tales non illiciti censeri possint. *Sed repræsentationes vitiorum & vitiosorum* in scenâ nequit Christianus in se bonâ conscientiâ recipere, hæc enim vix nominari inter Christianos debent, *Ephes. 5. v.* 8. Minùs factis ipsis repræsentari. *V. d. 7. Dec. 5. t. 21. In acceptando* joca benignè suscipiantur, tolerentur, non in serium explicentur. *V. Plautum Pœn. a. 5. s. 5. Objectum* ejus joca, verba faceta ad jucunditatem composita, & ludicra s. lusus, acta ad eandem conformata, sunt, quorum necesfitas, utilitas, & jucunditas videnda. In vitâ enim humanâ datur fatigatio: quarè & danda relaxatio, sine hac enim fatigatio est consumptio, & arcus semper intensus rumpitur. Spiritus enim reficiendi, sæpèque refocillatione gratia ac amicitia utilis conciliatur. *Quidam* jocis etiam iniquiores sunt, & Christiano non usurpandos censent, ut *Hieronymus*, *Euripides*, *Smalcius contr. Frantz. d. 7. t. 131. 132. Cat. Rac. Germ. p. 199. aliiq;*, quod de scurrilibus valet, de aliis Scriptura contrà est *1. Reg. 18. v. 27. Ezech. 16. v. 44.* Exempla Urbanorum *ap. Zuingerum Vol. 12. l. 4. Manlium Collect. p. 871. Lycosthenem, Alstedium Eth. 3.* vide. Unde promantur, fusè *Cicero 2. d. Orat. t. 76.* disceptat. *Oppositum* ejus in *Excessu* scurilitas, in sensu ac intentione dicentis propriè consistens, in *defectu* rusticitas & insulsitas est. *V. c. l. t. 16.* De jocis præcepta quædam in *Verulamio l. 6. d. aug. scien. c. 3. n. 35.* Et liber, qui *Grobianus*, vel de simplicitate morum inscribitur, item Froschmeuler/ Zingräffen in weisen Sprüchen/ aliiq; habent.

11. *Virtus ad sincerum dirigens Veracitas vel Veritas est*, quæ non æquitatem, aut veritatem artis, signi, vel notitiæ notat,

notat, *sed vita*, cum talis signo est, qualis facto & re esse vult, & sinceritas, simplicitas, candor, fides, & fidelitas etiam dicitur: *Virtus directa, medium prudentiæ in promendo vero morali sincerè honestatis gratiâ servare faciens.*

12. Genus & Medium *d. 4.* patent. *Verum morale est* convenientia cordis & oris, vitæ & signi, cogitati, & facti, ac dicti. Ægyptij per cor humanum appenso gutture, Rabbini per aleph adumbrárunt. *V. Lessium app. 1. C. 1.* Medium servat veritas *loquendo, agendo, silendo*, *& dissimulando. Loquendo*, cum verbis profertur. Vel simpliciter, ut est aut non, vel cum modo, ut vehementi assertione, ut Amen, verè, profectò, quales particulæ omnibꝰ linguis usitatæ, quanquam τὸ amen ferè ex usu aut intentione Hebræorum ad juramenti formulam accedit, ex *Hebr. 6. v. 14.* Ubi tamen partic. amen non est, sed ἦ μὴν, & materia saltem juramenti adducitur, forma ipsa *Gen. 22. v. 16.* involvitur, Et *Psalm. 105. v. 9.* Vel juramento, invocatione DEI ut testis additâ, quam in Christianis *Anabaptistæ & Photiniani* quidam improbant, cum Paulo tamen usurpata, *Rom. 9. v. 1. 2. Cor. 1. v. 23. Phil. 1. v. 8.* Et generaliter juramentum finis omnis controversiæ dicatur *Hebr. 6. v. 16.* Et quæ fortissimè obligat, si de re licitâ & possibili facta, etiam cum latroni de vitâ, pecuniâ, aut silentio promissa, DEO enim jurando te obligasti, cui proindè, si potes, satisfaciendum, ne nomen ejus in vanum sumatur, & ipse juramenti non servati pœnas expetat, *Lev. 19. v. 2. Matth. 5. v. 33.* Non enim ludificandus Deus, *Gal. 6. v. 7.* Secùs pœna violatores nominis ejus manet, *Exod. 20 v. 7. Lev. 19. v. 12.* Etsi in foro soli & mundi nec latroni actio in te conceditur, nec tibi obligatio judicialiter secundùm communem ICtorum & Politicorum sententiam addicitur. *V. Seiserum*

*l 1. d.*

*l.1. d jur. c. 20. Hunnium T. 1. in Treut. d. 6. Rauchbarum p. 2. qu. Jur. q. 4. Bodin. l. 1. d. Rep. c. 1. aliosq́.* Sed jus fori etiam non de tuâ Conſcientiâ judicare poteſt, per quam tamen DEO jurando obligatus es, & ex quâ in foro poli & Eccleſiaſtico magis ſolvere, quàm negare aut tricari ſuadetur, quam diſcutiendam jus ſoli tibi ipſi relinquit, & tu vitam ſervare, ac cōſcientiam placare, Latro prædam & malitiam implere intendit, eòque cum ſcelere ejus non colludis illudvè juvas, ut pluribus *Thummius de juram. p. 99. ſeq. Balduinus, Brochmandus aliiq́. dec. 3. c. l. t. 20.* citati tradunt: Etiam cum hoſti infideli, hæretico juraſti, *V. Job. 9. v. 15. 16. Et c. l.* plurib. deductum. In illicito & impoſſibili reſcindenda ea, non ſervanda. *Lev. 5. v. 4. 5. V. c. l.*

13. *Agendo*, cum factis, geſtibus, ritibus, profertur, ut actus menti conformes ſint. Unde *verbis* nunquam ſimulandum, nam mendacium hoc: *Rebus*, ſi indifferentes, licet, ſic David inſaniam, Chriſtus abitum ulteriorem ſimulavit, *Luc. 24.* Sic ſtrategemata bellica: Si determinatæ ad malum, non, ut fidem falſam ejusvè ſigna, vitia & vitioſos in ſcenâ repræſentare, *V. c. l t. 21. Silendo*, cum prudentia tegere & occultare, non promere, jubet. Hic *taciturnitas* requiritur, ut tempus ſilendi aut partem veri dicendi ſciatur, quod in vita ſæpè neceſſarium, ut qui loqui ſciat, & tacere ſcire debeat. Cujus oppoſitum *garrulitas & intempeſtivum ſilere eſt, t. 22. c. l. Diſſimulando*, cum diſſimulare verum, non proferre jubetur. Veritas enim officioſa & ingenioſa eſt, ut prudenter diſſimulet. Nec cuivis reſpondere, nec omne ſemper verum dicere tenemur, etſi quando loqui velimus, non mentiri teneamur. Unde æquivocari, aliquid, quod loquens tecum nec cogitat, nec intendit, reſervare, & ex tali reſervato ambiguè ipſi reſpondere, aliena cogitata tua

ad quæsitum reponere, ambiguo eludere ac decipere non licet, ut olim *Priscillianistis*, de quib. versus, Jura, perjura, secretum prodere noli, *V. Augustin. l. d. mendac.* Hodiè *Pontificiis & Jesuitis* quibusdam usitatum, qui & scriptis & factis, & theoriâ & praxi, id docent, Ut *Valentianus T. 3. d 5. Sotus l. 5. d. J. & J. q. 6. Toletus l. 4. Instruct. Lessius l. 2. d. Just. C. 31. Azorius p. 3. Instit.* Et peculiarib. scriptis *Garnetus & Blacvvellus* deduxerunt, factisque & exemplis Franc. Assisius, *Leo X. P. R. Treshamus, Garnetus, Richeomus*, aliiq; demonstrârunt, sæpeq; quando cum hæreticis agunt, explicando ac detorquendo ostendunt, quicquid de effugiis *Becani, Bellarmini, Rosvveydi, Suertij*, & aliorum sit, quib. dogma à se amoliri, & oppositum sibi tribuere volunt, de quo alibi latiùs. Recteq; ex ipsis *Pontificiis, Becanus, Soto, Azorius, Couvarruvias, alijq;* æquivocandi artem reprobant, & silere aut prudenter dissimulare, vel partem veri dicere licere ajunt, quod aliud est. Generaliter enim omne mendacium prohibitum est. *Lev. 10. v. 11. Psal. 5. Ephes. 4. Colos. 3. Apoc. 22. Plura t. 23. c. l.*

14. *Divisio veritatis in verborum & rerum esse potest. Illa* candor, hæc fides dicitur. *Opposita excessus*, Ut nimis rigidè verum postulare, *& defectus* sunt, cum præter verum agitur. Quod *mendacitas*, mendacium, fallacitas, dicitur, *Vitium morale, falsas significationes moraliū signorum cum intentione falsum* asserendi proferens. Intentio falsum asserendi velut formale in mendacio est, non fallendi, hoc enim abesse potest. Ut cum falsum sub intentione falsi dicis, etsi alterum falli non posse scias. Ut Ananias erga Sp. S. quem Apostoli habebant. *Act. 5.* Ac *potest aliquid ut in se verum creditum, alteri tanquam falsum proponi*, ut alter existimet, illum, qui loquitur, id pro falso habere, quod

reipsâ pro vero habet, ubi mendacium committitur. Sed non poteſt aliquid ut verum & falſum ſimul credi. Hoc enim non conſiſtit. Et mendacium *Aliud jocoſum, officioſum, & pernitioſum* dici ſolet, quam diviſionem alii improbant, alij admittunt, Et vocis mendacii in ſignificata, non generis in ſpecies, rei in modos, aut totius in veras partes diviſio eſt, *C.l.t.26.* Simplex & compoſitum, affirmativum & negativum, *verbale*, ut detractio, calumnia, convitium, & *reale eſt*, cum factis & geſtibus falſum committitur, ut ſimulare & diſsimulare, ubi malè mendacium committi negatur, ut *Pareus in C. 27. Gen. q. 4.* Cum & hic diſconvenientia Cordis & operis ſub falſi intentione eſſe poſsit, aliudq; ſimulari, aliud intendi queat, ut falſum intendas, &c. De quib. *c. l. t. 25. 26.*

15. Virtus ad quietem dirigens *Concordia eſt*, *Virtus directæ, medium prudentiæ in vitâ tranquillè cum altero in converſatione ducendâ ſervare faciens.* Dicitur & Concorditas *Pacuvio*, tranquillitas. *Objectum externum* vita tranquillè ducenda eſt, ubi agenda, omittenda, & patienda comprehenduntur. Eaq; & propria & aliena, ut in illis omnia ad quietem, nihil ad offenſionem diſponantur, cum hominibus pacem, cum vitiis bellum geri debeat, cogitetur, omniaq; quantum poſsibile, in melius & mitius explicentur & applicentur. *Internum* appetitus & voluntas eſt. *Ex diviſione Eccleſiaſtica, Politica, & Oeconomica eſt. Oppoſitum in Exceſſu* Indulgentia, *in defectu* diſcordia, contentioſitas, & rixoſitas eſt. Exempla *Zuingerus*, *Beyerling.* alijque habent. *Plura c. l. t. 27. 28.*

## AVCTARIVM.

CUm in diſp. de fortitudine quædam ſuperfuerint, & hic chartæ ſpatium ſuppetat, hic addenda exiſtimavimus.

Ad

Ad *t. 17.* ergò adde: Aliàs ardua de causâ lacrymæ emissæ non statim timidum & mollem arguunt, sic enim & Christus lacrymatus, *Johan. 11. Luc. 19. Heb. 7.* Petrus, *Matth. 26.* Scipio Africanus super Carthagine, Xerxes super exercitu suo, Josephus super fratribus, *Genes. 43. 45.* Esauus super Jacobo fratre diu non viso, *Genes. 33.* Qui aliàs non timidi: E αὐτοχεῖρες, qui seipsos occidunt. Cum onus à Deo impositum patienter ferre, & superare, non ei succumbere debeant, ut Rhasis; *2. Maccab. 14.* Saul, Curtius, Pilatus, aliiq;, quorum exempla apud *Valer. M. L. 3. Florum l. 2. Camer. C. 3. c. 78.* aliosque prostant. Gentiles eam admiserunt & probârunt. *Lipsius* in summa necessitate, *C. 2. epist. 22. Hieronymus & Ambrosius* in castitate eam probârũt, *V. Eund. lib. 3. Manud. c. 22.* Malè omnes, cum contra legem Dei, Naturæ, Reipublicæ, & sanæ rationis sit, velut miles priùs è statione discedat, quàm ab Imperatore evocetur, aut ex ædibus excedas, in quibus manere condixeris. Plura apud *Sigfridum pecul. Tract. de Autocheiria, & Theologos in Casib.* Item *Becanum, Lessium*, alios vide.

*18. Secundaria fortitudinis opposita sunt omnes detractores* ejus in quibusdam, ut qui gentilibus aut Hæreticis eam negant, ut *Hieronymus, Augustinus, & AntiPuteanus* aliquis in *stater. lit. i.* Principem Auriacum nec fortem, nec prudentem dicit, quòd Hæreticus sit. Alienè, cum tota fortitudinis definitio, *t. 4. d. 8.* eis verè competat, & civilis virtus nec Christianam, nec veram & Catholicam præcisè fidem requirat, sed medium prudentiæ & rectam rationem. *V. d. 4. t. 14.* Quicquid de eo sit, quòd *Patres* quidam de virtutibus gentilium iniquiùs censuerint, de quo in Theologicis, aut qvòd nonnulli peccata eas dici posse censeant, de quo alibi.

